

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
**METASCHEMA-
TISMIS MORBORUM,**

Quam
DEO FAVENTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

In Alma Regia Fridericiana,
CONSENSU, ET AUTORITATE GRATIOSISSIMÆ FACUL-
TATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORD. h. t. DECANO.
DN. PATRONO, AC PRÆCEPTORE SUO OMNI OBSERVANTIA
NUNQUAM NON PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA rite ac legitime capeffendi,

d. Mart. A. MDCCVIII, horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publice Eruditorum disquisitioni submittet

Dr. R. Küstner.

HENRICUS DANIEL OHEIMB,

VRATISLAV. SILESIVS

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typ. 1723.

l. gen.

6/8

3. IN FOLGE DER VEREINBARUNG...

...ZUSAMMENGEKOMMEN...

...UND SICH ÜBER...

...FOLGENDEN PUNKTEN...

...VEREINBART...

...DASS...

...DIE...

...SICH...

...DARÜBER...

...EINGEKLÄRT...

...HABEN...

...DIE...

...FOLGENDEN...



PROOEMIUMi



Un aliis multis rebus humana opinio decipi atque aberrare potest, ita certe in ipso veluti apice suæ *ακμῆς* ostendendo, non ita raro varie titubat, imo graviter offendit. Non in amplum circa hanc rem campum excurram, sed breviter potius asserti mei fidem faciam, per allegationem triplicis opinionis circa artis medicæ, & quæ ad illam pertinent, perfectionem. Una harum omnia antiquitati tribuit, adeo, ut etiam quicquid post forte à recentioribus detectum appareat, ingens aliquod ad universum artis ambitum momentum præ se ferens, illud ex aliquo antiquo antiquitatis verbo exculpare, & inaudita consequentia, totam rem jam illis olim satis cognitam fuisse, asseverare non vereatur. Altera tota opposita, ut multi dum vitant vitia, in contraria currunt, potissimarum fere rerum, quæ medicam artem vere constituent, ignorantiam veteribus assignans, recentiorum jam ingenio, jam bono genio hoc tribuit, qui hæc omnia magna felicitate assecuti sint, quorum veteres in solidum impotes & ignari,

A 2

pro-

propterea etiam verbis & factis à felici praxi alieniores
 fuisse credendi sint. Contermina huic est tertia, quæ
 sibi aliisque persuadere laborat, quod medicina his ipsis
 temporibus & felicitate recentiore, supremum suum
 fastigium atque nitorem adepta sit: adeo ut etiam hic
 illic vix non absoluta moderna artis demonstrativa per-
 fectio credita esse, non obscure videri possit. Quam
 varie vero offendere possit opinio humana, & quomo-
 do etiam è multis differentibus, imò etiam contrariis
 opinionibus, tamen nullam veram esse, contingere
 possit, documento puto esse potest ipsa hæc triplex opi-
 nio; dum neque omnia, quæ hodie scimus, antiquitas
 scivit; neque sane plane nihil eorum, inprimis quæ ad
 verum medicum usum pertineant: neque vero etiam
 recentiorum ea undique est, ad usum verè medicum,
 efficacia, quam vulgo credi apparet. Certe si sine ul-
 lius ætatis præjudicio, rebus potius quam personis ani-
 mum intendere placeat, non poterit non dilucere,
 quod, quantum verum usum medicum attinet, non
 solum pauciora aut deteriora recentioribus antiqui non
 sciverint; sed etiam, si res bona fide comparare & in-
 vicem compensare placeat, certe passim de antiquo-
 rum studiis dici possit, quod olim Fabius de cuncta-
 bundis suis consiliis dicebat, quod aliorum quidem spe-
 ciosiora primo intuitu videri potuerint, sua usu meliora.
 Interim, uti neque justum est, neque nobis dignum, ut
 quæ bona sunt, ullo modo deteriora videri velimus; ita
 facile quidem & recentiorum industriam, præsertim
 in eo genere, cui operata est, laude sua potiri sinimus:
 & tamen veterum etiam recte facta decente loco collo-
 cari, imo jam dudum constituta fuisse, candide opta-
 mus. Illam prærogativam excusationis veteribus omni
 mo

modo deferimus, quod illis minime vitio verti debeat, si artem minus undique absolutam nobis reliquerunt. Non immerito vero dubitamus, an æque pari jure frui possit posteritas, & illa inprimis, quæ ad evolvenda penitus omnia nihil intentatum relinquere præ se tulit, si etiam illud, quod vulgato proverbio pro facili habetur, inventis addere, non potuit. Certe enim, si tandem illud dilucescat, quod antiquorum studia tot & tanta nobis tanquam fundamenta jecerint posterioribus, quibus altius & splendidius totius artis ædificium, satis commode superstruere potuissemus; nihil perplexa puto esse poterit imputatio, quod debuissimus facere, & quod factum non sit, nihil minus quam gloriæ ducere. Præcipuum quod veterum industriæ adeo in solidum debemus in medicis rebus, ut revera hodierna nostra diligentia, ne quod durius dicam, palmam illi dubiam reddere nunquam debeat, est Historia Morborum. Hujus concinnio rem distributionem, & ita in classes suas divisionem, ut inde vel sponte nexus quidam, secundum causales respectus conspirans, eluxisset, tantum abest, ut posteritatis consensu collectam & exasciatam habeamus, ut facile, si operæ esset pretium, deducere esset integrum, quod plura hujus rei documenta etiam apud ipsos jam veteres præsto sint; quam apud posteritatem, vel passim assensus solum, quo illa antiquitatis studia vel in mentem admissa esse apparere possit. Interim nexus & conspiratio mutua morborum, talis utique est res, sine qua nunquam, neque physica ulla ætiologia veritati consona, nedum medica pathologia, & quæ quid, & quomodo, ubi & quando, præoccupare aut subvenire, radices succidere & excindere, & reconditas minus conspicuas eviden-

tium crassiorum pathematum causas deprehendere aut destruere liceat, præmonstrare possit. Quæ res, cum nostro quidem iudicio eximia consideratione digna sit, constituimus apud animum experiri, quid in hoc negotio commodum & utile sit, cordi habere atque comparare. Non tamen illud præsens temporis nostri angustior ratio permittit, ut operosius allegando commonstremus, quanto plus in his rebus valeat antiquorum quam juniorum perspicacitas. Suffecerit illud dixisse, sine ullius partis justa invidia, aut nostri tentaminis jactandi justa calumnia, quod plus utique multo veteres præ recentioribus hic suppeditent, interim neutri animum ad ipsum nexum eliciendum satis intendisse videantur: cum tamen hic, modo absit ἡ κακοήθεια τῆς πολυπραγμοσύνης, & præoccupatio autoritatis, non ita in abstruso positus videri possit.

Agemus itaque, DEO bene assistente, loco **THEMATIS INAUGURALIS, DE METASCHEMATISMIS, SEU TRANSFIGURATIONIBUS MORBORUM.**

Exoramus autem merito supplices ejus gratiam, ut cœptum hoc nostrum feliciter succedat & utiliter cedat.

I.
DE MORBORUM TRANSFIGURATIONIBUS loqui in animo habentes, ante omnia indicare necessarium judicamus, quid hoc nomine intellectum velimus. Nempè dantur in Praxi tum *generales transitus à morbo uno ad alium, generaliore occasione, prægressæ cujusdam debilitationis ab uno morbo, aditum ita præbente etiam aliis causis morbidis, ut illæ in corpore majore, ut loquuntur, receptivitate jam affecto, tanto*
 fa-

faciliorem locum inveniant: quo intuitu etiam plurimum *diversi* morbi, non solum se mutuo *consequi*, sed vel planè *comitari* possunt. Altera vero species *permutationis* morborum est, quando penitiorè quadam *συζυγία*, & tam *materialium*, quam *finalium* causarum paritate, morbi *locum* solum atque *typum mutant*: imò, licet etiam specialissimam *formalem* rationem ita necessariò varient, tamen neque *generalem* communem rationem mutant; nec usquamdubium relinquunt, quin longè evidentiore *causandi* ratione, à se mutuo *dependeant* atque *foveantur*.

II.

De his *posterioribus* erit nobis maxime sermo. Propterea in primis, quia hæc res non solum eximium usum habet, ad dignoscendam veram *conspirationem*, qui morbi à quibus *initiis oritur*, & in quos *ulteriores* *schematismos transire* possint: Sed etiam ad *perpendendum*, à quibus *penitioribus fundamentis*, præsens aliquod *schema* forte pendeat atque sustentetur. Ut ita non solum *Prognosi*, sed etiam *Methodo Therapeutica rationali*, via sternatur solida, qua ad *veriolem eradicationem* pertingere sit integrum.

III.

Transfigurantur autem ita morbi, vel *repentinis* magis *succeffibus*; quando *materia*, ab uno *loco* in alterum, *prompte* impellitur; aut *motus* etiam indecenter *perversi*, *actione sua* jam in alio *loco*, jam vel in eodem, saltem *alter*, *scenam suam* ludunt: vel etiam *longis* *succeffibus*, & vel multo *subinde* *interposito tempore*, circa *pares materias*, ad *pares fines*, paribus plus minus *motibus & actibus*, morbus *diversæ apparentis* indolis formatur, quamvis in summa totius rei antiquæ *prægressæ constitutioni* innitatur, *schema se solum* variato.

IV.

Differunt autem ita *transfigurati* morbi, ab aliis, ejusdem reliquæ *specialioris* indolis *simplicioribus*, præcipue *percinactis*, atque vel *perennandi*, vel *recurrendi* peculiari ha-

ha-

habitu. *Simplices* enim horum generum, sæpè satis & materia & successibus promptiùs *obsequuntur*, ut ad bonam frugem redeant: Imò, faciunt hoc etiam meliore fide, ut *sincertus* ad plenam perfectam sanitatem revertantur. Cum ex adverso illi, qui schemate solum mutato, ab aliis initiis processerunt, nimiam quantum *disparem*, imò circa morbi dictas circumstantias verè *contrariam* indolem exhibeant. Unde maximè certe interest Practici Medici, ut benè perspectum habeat, quid ejusmodi *larvarum* in variis affectibus subsit, ut tanto felicius, tam *pradicere* de illorum successibus & eventibus, quam ubi jam præsto sunt, *judicare* possit.

V.

Ut autem ordine aliquo in proposito nostro progrediamur, dicimus primo loco, quod *Metaschematismus* morborum, partim sub se complectatur diversitatem *MATERIARUM* in sensus incurrentium; partim diversitatem *LOCORUM*, in quibus unus talis affectus ab altero diffidet: partim *MOTUS*, ejusmodi diversam collocationem stipantes: partim mutationes *sensibiles*, secundùm *receptivitates* locorum diversa schemata formantes: partim *tempora*, quibus ita diversa contingunt, variantia.

VI.

Quod primum attinet, conspicuam inquam, & in sensus directè incurrentem *materiam* apparenter *mutatam*; fit sæpe satis, ut in alio quidem aliquo affectu, nulla apparuerit conspicua *materia*, quæ in altero sese exserit. Verbi gratia: quando à nudis *doloribus*, magis, interdum etiam minus, exquisitis, in *artibus*, sive simul & semel *retropulsis*, sive diutius quàm expediat, simpliciter *cohibitis* & *repressis*, *asthmata*, in leviter prædispositis, *humida*, imo vel ita dicti *carrhi suffocativi*, cum repentina velut opprimente multa *mucositate* circà fauces & pulmones, præsto sunt. Vel ex adverso, foeminis, de reliquo satis sanis apparentibus, suppressis repentè *menstruis* evacuationibus, posthac etiam ferè sub quolibet corporis fortiore motu, *angustia* circà respi-

rationem, citra aliquam comparentem materiam, oriuntur: imo, tum harum aliquibus, tum *masculini* sexus subjectis, post *sanguineas* evacuationes, spontè, vel qualibet arte minus perit & sublata, *sicca tusses*, cum successiva *extenuatione* totius corporis, succedunt: Aut variarum sanguinearum evacuationum vicem, subeunt nudi *dolores*, in partibus etiam multum disitis, *artibus* variis &c.

VII.

LOCORUM autem diversitate præcipuè mutant scenam, affectus de quibus loquimur; dum non solum veluti per *gradus*, ab aliqua *propinqua* regione corporis aut parte, in alteram serpunt; quod præcipuè progressibus secundum *ÆTATES* variantium talium affectuum usitatum est: Sed vel per *saltus* sedes suas permutant, à *pedibus* ad *caput* aut *pectus*, inprimis autem ab *extremis* veluti ad *interiora* defultando. Et inprimis quidem hoc nominato *ordine*, minimè autem *vicissim*, à *capite* ad *pedes*, *summis* ad *infima*, aut *intimis* ad *extrema*: Nisi quidem jam valde usitati, & ipso usu prompte, vel arte etiam incitati, contingant promptiores tales itus atque reditus.

VIII.

MOTUS differentes schema *σύζυγον* affectuum stipantes, atque adeo etiam *larvas* novam veluti ornantes, sunt utique varii, *TONICO-SPASTICI* tamen omnes, inprimis in *excessu* familiaris, rarius autem, sed tanto *periculosius*, aut *perstinacius*, *defectu* obstinato peccantes. Ut loco simpliciorum *congestoriarum* tensionum, atque *tensivorum* dolorum, aut *pulsatilium*, *micatorli vibrativi*, *palpitatorii*, imo manifestius *torminosi*, aut rigidè *contractorii spastici*. Cujusmodi ab *hemorrhagiis* consuetis, primo ad subtiliores *dolores* circa ista loca; sensim autem etiam ad vehementiores tales *spasticas* motitationes transire seu transfigurari consueverunt. *Paralyses*, *contracturæ*, *apoplexia*, *catarrhi suffocativi*, rarius, ita volente DEO obtingunt; Interim ad hanc utique tribum communissimè pertinentes,

B

IX. Ita

IX.

Ita quidem etiam mutationes SCHEMATIS affectus, secundum peculiarem constitutionem *loci*, satis familiarem effectum habent, dum v. gr. prohibita *excretio*, interim repullulante *congestione* ad eruptionem talem verè tendente, *dolores* varios circa partem format, aliquando cum extorsum etiam conspicua *Stasi*: aliquando sine eadem. Quantò verò conspicuæ magis fiunt stases illæ, eò magis etiam *calores*, imo vel plane *inflammationes*, inde efformantur, plurimum certe schemate differentes ab ante usitata sanguinis *eruptione*. Quid, quod vel subtiliores, per certum aliquem locum plus minus *assuescæta* altiores *eruptiones*, v. gr. *Erysipelacæ*, familiaribus satis exemplis *profundos* solum in parte, acriores *dolores spasticos* atque *palpitatorio - vibrativos* formant, non nisi ipsis *efflorescentiis* mitescentes, aut verè convenientibus, sive *ventilationibus*, sive *discussionibus*.

X.

Reverà verò latius longè patet diversitas hæc variationis schematis affectuum, secundum *LOCUM* denuò occupati varietatem, dum pro hujus *differenti conditione*, utique etiam variæ *secundariæ* alterationes atque mutationes locum inveniunt. Sicuti tamen illa, quæ vel à principali *materia*, quæ subest, vel à præcipuo *motu*, qui schema quadantenus mutavit, pendent, reliquarum omnium fundamentum sunt: ita præbent etiam veluti cynosuram, hanc schematismi larvam feliciùs detegendi.

XI.

Infervit autem revera huic etiam intentioni non parum, consideratio efficaciam in hoc genere *ÆTATUM* diversarum. Cum enim, quantum ad *materiam* attinet, in *mediocri ætate*, cohibitæ aliquæ excretiones *SANGVINÆ* in uno *loco*, eruptionem parem substituere soleant circa alterum aliquem *conspirantem*: ibi apud *annosiores* longè familiarior est substitutio solum *SEROSO MUCIDÆ* alicujus *catarrhalis* collectionis, circa *caput, fauces, pectus*; imò vel totum *habitum*

COR-

❧ (II) ❧

corporis *tumorum oedematosorum* forma : quantumlibet hoc quoque schema, non tam simpliciter *etatem*, quam reliquam etiam *totius habitus mollioris* aptitudinem, sequi soleat

XII.

Quemadmodum autem hæ dictæ *dispositiones* in genere, mutandis morborum schematibus, variis modis subserviunt; ita est tamen efficacia prima & potissima *MOTUUM* ad sanguinis inprimis *secretiones, translationes, & excretiones*, pertinentium. Prout enim hic vel in progressu suo non satis commodè *succedens*, vel ad *exitus* aliquos, ut ajunt, *tendens*, in his rebus minus libere atque prospere progreditur; adeoque, tum *restagnationes* atque *congestionem* variæ, tum fortiores *impulsus tonici* particulares, quin *Febriles* magis universales: tum denique *translationes*, si in uno loco minus prospere succedat negotium, familiariter hinc instruuntur: Ita ab hoc uno *subjecto*, & inprimis *objecto*, diversa *schemata* affectuum atque *motuum*, licet uni eidemque *fundamento* innitentia, facile est agnoscere.

XIII.

Cum autem *tria* sint summa genera, à sanguinis respectibus pendentium *actuum & effectuum*, præter naturalem ordinem fientium: nempe I. qui ad sinceram ejus exonerationem respiciunt; II. qui *consumptionem* ejus, seu resolutionem colliquatoriam, spectant. III. qui simpliciter ad *progressus* ejus *locales* impeditiores explicandos, pertinent: potest, uti puto, facile æstimari, quàm variis *schematibus*, imò multiplicibus eorum *conversionibus*, *occasionem* præbere possint, quin *materiam* veluti suppeditare, hæc tria summa genera causarum.

XIV.

Quæ cum etiam ipsa à se mutuo manifesto *dependeant*, atque inter se *conspirent*, poterit certe tanto clariùs dilucescere, quod utique etiam secundùm hæc differentia genera, diversi affectus, tamen revera à *Metaschematismi* nota propterea non in solidum usquam absolvi possint; cum etiam il-

Ja quæ diximus summa genera, non sint simplici scholastico sensu verè *suprema*; sed *subalterna*, & mutuam *dependentiam* inter se foventia

XV.

Unde quidem etiam hic maximè locum habet illa scholis laudata *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*; ut inquam ab effectibus, qui simplicem sinceram *evacuationem* pro fundamento habent, transitus fiat ad tales, qui *evacuationem* quidem, sed sub forma *alteratâ, resoluta* moliantur: ita etiam ab affectibus *exitum* exoneratorium non satis facile assequentibus, affectus, qui *contentiones translatorias* in scenam producant: ex affectibus *progressus* impeditiores sequentibus, tales, qui ad excussiones & eruptiones *tendant*, eosque pertinacibus *contentionibus* moliantur.

XVI.

Ut itaque ad rem ipsam propiùs accedamus, *transfigurantur* ita, antè omnia & primò loco, affectus, qui ad *sinceram excretionem* sanguinis, seu *HÆMORRHAGIAS*, secundum veram *Pathologicam* morborum historiam, pertinent, & 1) quidem ratione ipsorum *locorum*; 2) ratione magis directorum ad *exitum* conaminum & *moliminum*: 3) intuitu diversorum, successus varios ejusmodi moliminum stipantium veluti *symptomatum*; nempe verorum tales conatus stipantium *accidentium*: & tandem 4) aliorum affectuum, qui ab istorum effectuum contumaciore *retentione*, qua ad exitum plane non perveniunt, dependent.

XVII.

Quod itaque *Metaschematismum* affectus sinceri secundum *loca* solùm attinet, valet hic plurimum ratio *ÆTATUM* (quamvis illa quidem re ipsa propemodum universum verum totius hujus negotii fundamentum constituat.) Ita nempe, ut vel eruptio ab uno loco ad *proximum* devolvatur; vel *palindrome* à *posteriore* aliquo ad *priorem*, contingat: vel pluribus *simul* locis eruptionem tandem occupet.

XVIII. |

XVIII.

Ab uno loco in alterum *proximum*, devolvitur *hamorrhagiarum* eruptio, dum, quibus *pueris* & *adolescentibus* valde familiaris *NARIVM* hæmorrhagia, supprimitur, his *adultis* atque *juvenescentibus* evenit facilius *hamoptysis*. Quibus *senibus*, *hamorrhoides* malè decedunt, succedit *miçtus cruentus*: *Fœminis* inprimis, dum *bonus mensium* successus pessimè cedit, non ita plane raro *cruentus vomitus*, aut ipsa etiam *hamoptysis*, obtingit.

XIX.

Per *palindromen*, seu *recursum* ad *pristina loca*, prægressæ alicui *etati* debita, familiarior, *hamorrhoidibus* & *menstruis* oppressis, *recursum* est ad *pectus* & *stomachum*: longè autem *communiores* etiam *totius schematis* circa hæc *locamutationes*, quam *sincera* iterum eruptiones: in *virili* præcipue *sexu*, & jam *annosioribus* *fæminarum*.

XX.

Habet autem hæc *consideratio præcipuum usum* in *præcavendis* partim *offensionibus*, ne è *tolerabiliore* aliqua hæmorrhagia, *periculosior* concinnetur; (quales revera sunt *hamoptysis*; *vomitus cruentus*, *miçtus cruentus*;) tum *occurrentium* talium, *veriores causa prægressa*, & revera in genere *conjunctæ*, *omni modo affectati exitus*;) rectè agnoscantur: tum denique etiam, in ipsa *medendi* ratione, respectus hic servetur, etiam in *cohibendis* talibus *exosis hamorrhagiis*; si illæ post alias, alii solum *loco* assuetas, eruperint, ne illas ita simpliciter pro *nudis*, adeoque juxta communem *tritam viam* iterum *simplici suppressione* feliciter in *solidum* tollendis, habeamus.

XXI.

Quod jam attinet *symptomata* illa, quæ hæmorrhagiis non tam æque *sinceris*, quam *molientibus* tantum, comites incedunt, ut illa sub illis veluti *summis generibus* stant; nempe *restagnationibus congestoriis*, *stasibus plenariis*, & *inde sensationibus variis*; quin denique harum ipsarum quoque

rerum ulterioribus *confectariis*: Ita bene utique consideranda est illa hujus classis schema mutantium affectuum verè suprema *larva*, qua ipsæ hæmorrhagiæ ita faciem occulunt, ut à minus perspicace spectatore, & fortè per omnem recentioris *microscopia pathologica* apparatus, minime agnosci possint. Auget hanc difficultatem, quando hæmorrhagiæ vel *rarius*, vel *plane non* sortitæ adhuc sunt exitum; quod maxime omnium de *hemorrhoidalibus* valet. Dum enim tali ratione nullum compar aliud schema præcessit, videri posset locum habere *cavillatio*, quasi ita non è pristino in novum fiat transitus. Nos autem utique non in hos cancellos cogimus nomen *transfigurationis*, ut simpliciter è prægresso uno, in alterum fiat transitus: Sed solum ex uno schemate in *aliud*, quo unus affectus, ad minimum naturali ordine *prior*, æque sub alterius *larva* lateat, quam priores aut posteriores in aliquo uno subjecto reciprocè.

XXII.

Hac ratione primo de *congestionum* censu, ad *exitum*, sed impeditiorem, spectantium, sunt circa *caput*, *narium hæmorrhagiam* affectans aut expectans, variæ *inflectiones* atque *distensiones*, & ab his, generalius etiam, sensus *distensionis* & gravitatis. Specialius, distensiones subtilium vasculorum, unde in oculis *rubor* oculorum, & *ophthalmia*: *Cephalalgia*: *odontalgia*, *otalgia*: *ardores* circa frontem, *Erysipelata* capitis. Qualia quidem omnia, & his etiam confinia adhuc aliqua, *sonitus* & *tinnitus* aurium, *splendor* ante oculos, *pruritus* nasi & internarum narium &c. *larva* passim sunt, *hæmorrhagia*, per *nares* molientis exitum. Inprimis si sæpius *recurrant*, & non ab externis potius causis provocata fuerint, sed *interno* tacito *molimine* nitantur.

XXIII.

Hæc quidem circa *caput*. Circa *PECTUS* exitum affectantes hæmorrhagicos conatus, *angina* & linguæ inflatio, *pectoris* repentinæ oppletiones, vel à solo corporis citatiore motu: *asthmata sicca*, sed cum pectoris tamen velut inflatione oppletiva: Sensus etiam interdum *compunctionum*, interdum

dum

dum, & imprimis in *aspera arteria*, *titillationis* aut *pruriginis*, quin *ardoris* cujusdam. Sicut etiam vel per *exteriores* thoracis ambitum, *spastica* quædam *contentiones* ab hoc censu non alienæ sunt; familiarius tamen externas circa thoracem *assuefactas* evacuationes (*scarificationum*,) familiarius insequentes, & illarum locum suo *schemate* occupantes.

XXIV.

VOMITUS CRUENTI *schemata* alieniora familiariora, constituunt affectus *hypochondriaco-spleneticis*, imprimis vehementiores, quales fere muliebri sexui familiariores proinde sunt, sicut ipse quoque *vomitus cruentus*, præ viris. Propius autem jam absunt à detrahenda ipsa *larvâ*, fæminarum cum ejusmodi *hypochondriacis* gravibus & anxiiis *contentionibus* actu concurrentes vehementes *conatus vomendi*. Sicuti certe *gravidarum* diuturniores atque contumaciores vomitus, ab hac scena nequaquam bono jure eximi possunt; quin ad minimum in multis *plethoricis* (quibus tales quam maximè familiariores sunt,) neque minus excessibus *vinosa* diætæ assuetis sæpè numero res revera ita uti diximus se habeat. Plerisque autem omnino *virorum*, qui tandem gravibus *vomitibus cruentis* corripuntur, certissimè præluferunt ejusmodi *anxia* atque *vehementia* *schemata angustiarum & anxietatum*, *spasticorum* etiam *variorum* motuum, *hypochondriaco-spleneticorum*.

XXV.

Habent certo hæc ipsa etiam usum suum, & imprimis in *feminino* sexu; ad avertendum animum à temerariis abusus *Emeticorum*, in talibus constitutionibus, in primis autem fæminini sexus. Quibus si non ipsi *vomitus cruenti*, tamen universæ illæ suæ *spastica* commotiones circa & propter *Venam portæ*, familiarissimè vel uno hujusmodi *fortiore* artificiali vomitu, non saltem in genere exacerbantur; sed omnia ita *sursum*, veluti *diriguntur*, ut in posterum cum aliis hujusmodi vehementioribus *motibus spasticis*, etiam peculiaris illa *atonía*, quæ *flatulentia* autor est, concilietur: ut *deorsum*

sursum

sum velut occlusæ omnibus flatibus, *sursum* non tam æque faciles, sed tamen foecundæ illis, existant.

XXVI.

Placet historiam hoc loco inferere notatu in hoc genere omni modo dignam. Vir *hemorrhoidibus* abunde, imò potius ad *excessum*, fluentibus, à multis annis affectus, & multa atque varia per hoc tempus medicatione usus, incurrit tandem, externa quadam occasione fortuita, præter omnem suam, vel à decem retrò annis memoriam, vomitum, imò majorem velut in momenta *conatum* vomendi, quam effectum aut ante omnia usum ejusdem. Imo increbescit hic *conatus* immanis eo usque, ut vix iterum tertia post hora, sedaretur, & patientem, ex apparente mortis periculo, iterum ad se redire pateretur. Erat autem patiens & alias à longo tempore valde debilis, & maximopere *sensibilis*. Præter hæc omnia verò ex inseparabili ab *hypochondriaco-hæmorrhoidalibus* importunioribus affectibus *consuetudine*, flatibus maximopere obnoxius. Hoc uno tam contumaci conatu diuturno vomendi, devolvebatur in illud summe insolens genus incommodissimi affectus, ut propemodum per tres menses, ne unus quidem *status* per *inferiora* secederet; *sursum* autem omnes, non pristino solum solito, sed nimium quam *multiplici*, nisu & insultu incumberent, & patienti tam anxiosa atque molestissima symptomata *cardialgico-suffocativa*, circa *præcordia*, cum *vertigine* etiam multa & forti, *aurium* tinnitu, *auditus* habitudine, *appetitus* omnis prostratione, diurnaque & nocturna inquietudine inducerent, ut nisi huic in loco aptum repertum fuisset remedium, patiens inde in multo magis fontica mala recto pede sine dubio processisset, cum jam *cachexia* insignis & *pedum inflationes* diurnæ, se manifestarent. Tanto pejoris autem prognosæ, licet vomendi *conatus* nunquam recruduerint, erat hæc constitutio, quoniam etiam *excretiones* patienti usitatissimæ *hemorrhoidales*, jam per hoc ipsum tempus propemodum totæ defecissent.

XXVII.

XXVII.

Nempe HÆMORRHOIDALIUM etiam excretionum non rectè succedentium vices, aliis *schematibus* explent, tum *interna* varia, circà *venam portæ*, tum *externa*, *tonico-spastica*, *premendî*, *transferendî*, ad certum locum exitus *restringendî*, quin ad illum exitum veluti *conmitendî*, conamina. Quorum præcipua sunt, *intus*, quidem, inquietæ illæ *contentiones* hypochondriacæ, quin *hypochondriaco hysterica*, à mensum vitiis, aut ùltima *cessatione* non decenter facta; & tam in viris, quàm in primis in hujus constitutionis fœminis, *torminosi* tales affectus, quos *Ileum hæmorrhoidalem Hippocratis* (quamvis *Hippocrates* in historiâ, de reliquo non vana, *torminum* mentionem neglexerit) *colicam hæmorrhoidalem* appellat D.D. Præses: *tenesmodis* varii conatus circa intestinum rectum: *morsus* intrâ hujus exitum, interdum momentanei *acutissimi*: *flatulentia* multiplex, & voluntariis *detentionibus* in gravissimas ante dictorum *schematum exacerbationes*, passim conjicienda.

XXVIII.

Exteriùs, *ischiadico-gonagrica* & *podagrica* pathemata, à tenuioribus atque tenerioribus initiis, passim in solitam pertinaciam prona.

XXIX.

Peculiaris autem ferè præ reliquis est harum *hæmorrhoidatum* sanguinis eruptionum, *mollentium* ita, sed non satis succedentium, *transcursatio*, non *larvam* solum, sed totam *scenam* mutans, secundùm *loca* tamen modò dicta, nempe ut jam in *exterioribus*, jam in *interioribus* sese sistunt illa *molimina*. In primis tamen longè familiarius ab exterioribus ad *interiora* ruendo, quam *contra* ab interioribus ad exteriora progrediendo.

XXX.

Nempe peritis harum rerum non possunt ignota esse illa, quæ etiam vulgo hominum satis notata observantur, *schemata* periculosissima, *retrocedentium* passim, aut dubio mo-

C

tu

ta *vacillantum*, uti vulgus quidam etiam Medicorum interpretatur, *calculosorum*, verius autem *nephritico-ischiatricorum* affectuum, ab exterioribus ad *intimiora* tendentium. Unde familiares *cardialgici*, *tensivi*, *flatulenti*, *torminosi*, *vomibundi* affectus; tum *nephriticis* obscurioribus conatibus præludentes aut concurrantes: tum *podagricis* paroxysmis, inprimis citò quiescentibus, intercedentes.

XXXI.

Quo certe loco maxime notanda est illa ipsi hominum vulgo solennis observatio, quod illi, qui juniores XL. annis inprimis autem magis tales, *podagra* afficiuntur, *senectutem* raro attingant: Cum ex adverso, quos jam *seniores* invadit *podagra*, hos etiam ad *annosam* senectutem pervenire (modò ab *artis* intempestivis subsidiis abstineant) constans experientia confirmet. Moriuntur autem tales non æque *doloribus* podagricis sed evidentioribus *convulsivis*, adhuc familiaribus autem *inflammatoriis internis*, aut *obstipatoriis*, jam *hecticis*, jam *hydropicis*, & concurrantibus *asthmatico-suffocativis* schematibus.

XXXII.

Mictus cruentus uti ipse *nephritidis*, *nephritis hypochondriaco-hæmorrhoidalium*, & *ischiatrico-hæmorrhoidalium* contentionum, schematibus, secundum rei veritatem accensendus est; ita *transfiguratur* familiaris in *calculi renalis* schema: non dispari ratione, quam *hæmoptysæos* molimina non solum in *ulcera*, sed etiam *calculos* pulmonum. Interim, cum ille ipse etiam *mictus cruentus*, revera *rarior* longè sit affectus, inprimis inter *juniores*; inter *seniores* autem illis maximè impendat, qui vel actu *consuetam hæmorrhoidalem* evacuationem amiserunt: vel *moliminibus* ad minimum talibus manifestioribus tentari, successum illorum non experti fuerunt: ita nimium quantum familiaris est etiam, *mediocri* adhuc ætati schema *nephritidis*.

XXXIII.

Hoc, *nephritidis* inquam schema, uti sæpenumero magis

gis

gis malâ explicatione, quàm rei veritate sincerè tale est; sed potius longè familiarius *rheumatico-ischiadicum*: manifestiore dolore per externam longitudinem dorsi, ab ipsis scapulis usque ad *coxas* descendens: ita *dirigitur* tamen facile vere ad ipsos *renes*, usitatissima illa in hoc maximâ, si ullo alio, affectu *πολυπραγμοσύνη*, specifica peculiaris *dirigentia* & *pellentia* ad has vias remedia, affatim suppeditante. Quibus nihil magis familiare & velut ordinarium obtingit, quam ut *dolores* hujusmodi, tanquam certo quodam *typo* ad aliquot dies exacerbati, sensim ita *stasin* talem, exiguam quamlibet, concipiant, quæ tenuissimo *ulcusculo* in concrementum tale *escharotico-tophaceum*, cum salino-limosâ urinæ substantia coalescat, quale *calculi* renalis schema posthac efformat.

XXXIV.

Mullebrium sanguinearum evacuationum negotium, ut in se *πολυμορφώτατον* est, & plurimorum longe schematum capax; ita intervrit certè prudenti pensitationi pro verâ *cy-nosurâ*, etiam aliorum *geminorum*, tam *primitivorum*, quam *consecutivorum* affectuum personas dignoscendi atque detrahendi.

XXXV.

Quæ enim usquam regio corporis immunis observatur ab hujusmodi evacuationis perturbatæ, *desultoriis* insultibus? quæ non circâ *caput*, non benè exeuntium mensium loco, aliena schemata familiaria fiunt? *Dolores capitis* omnis generis, *ophthalmia*: *aurium* dolores, *parotides*, *odontalgia*, *strangulationes faucium*, *anginae*, *erysipelata* circâ caput, *frigora* circum *verticem*: *spastici* dolores in summa *nucha*, imo *rigores* in hoc loco: *pectoris infarctus*, aut *inflationes oppletiva*: *asthmata*, tum *humidum*, tum *ficcum*, tum simpliciter *spasticum*: *Hæmoptysis*, *phthisis*, *tusses* variæ, etiam secundum hæc accidentia in *pectore*: *hypocondriaca* veò, & per *abdomen* perturbationes, innumeræ: *cardialgiae*; ad *suffocationem* usque transitoriam: *ambigua* inter *suffocationem* & *lipothymiam*, *defectiones* æque; atque veriores *lipothymia*;

mita: palpitationes cordis familiarissimæ: palpitationes æque atque tensiones contumaciores *flatulenta*: *spasmi*, jam ventriculi & intestinorum, *vomibundi*, *colici*, *alvi adstrictoril*; jam *mesenterii*, jam *diaphragmatis* cum mesenterio, *singultuosi*: jam intestini recti, *tenesmodes*: jam *nephritodes*, jam verè *nephrítica* pathemata; jam *vesicæ* spasticis affectibus infesta: *obstipationes hepatis*, inflationes, distensiones, indurationes *lletis*, *cachexia*, *atrophia*, *hectica*, *oedemata*, *hydropes*, EX HOC FONTE: evagatio ab interioribus in habitum *exteriorem* corporis; & inde jam *paralyses* aut *pareses* spurix, & verè *personata*; jam *Epilepsia*, aut ad minimum *motus convulsivi*, palpitationes, *pavores* familiarissimi: *Spasmi* simpliciores in artubus: *Vibrationes* subtilissimæ spasticæ *arthritica*, *vaga* inprimis: *sugillationes* in artubus: familiarissima æstus maris microcosmici *reciprocatio*, *refrigerationes* externæ, & *calores volatici*, ob leves causas scenam suam ludentes. cum *pallore* & *subsidentiâ* per ambitum: *oppletione* vero, *pressione*, *angustia*, *anxietate*, *suspiriis*, palpitationibus, circa *interiora*: tandem etiam *ischiadico-podagrictis* pathematibus, imo *ischiatricis contracturis*: quin tandem etiam insolitos exitus specialissimos quærentes, *vicaria* evacuationes *sincera*, rariores; aut *apostematodes* frequentiores, tandem ipsius *mentis* perturbationes; jam *transitorix*; jam *statarix melancholica*: *Febres* autem *inflammatorix* aut *synocha composita*, & sub quâlibet alia specie, insolentius *estuantes*.

XXXVI.

Nobis quidem nullum est dubium, quin, quod ante diximus, si rectè intelligatur universa harum scenarum ratio, hæc *muliebrium* pathematum, à *sanguifluis* conaminibus *foecundissima metamorphosis*, & *usitatissima* insuper, veri exemplaris vice servire possit, pro intelligendis atque agnoscendis omnibus *personis*, quibus etiam in *masculino* sexu, licet *longinquiora* sanguifluorum conatum molimina, alia schemata præfigurant. Sicut omnino jam dudum, sed certè adhuc tanquam

quam

quam per nebulam, huc respectare cœperunt, *Highborus*, qui *hysterica* antiquitus dicta mulierum pathemata, proprie non nisi *hypochondriaca* esse, interpretatus est; & *Willisius*, qui & reliqua *utriusque*, & hæc in primis *feminini* sexus, *hypochondriaca* & *hysterica* pathemata, SPASTICA, sive ut ille voluit, *convulsiva*, declarat.

XXXVII.

Defecit autem & *Highborus* (quod quidem primo rei *inventori* nunquam graviter imputandum esse putamus,) & posteri (quibus facilius erat inventis aliquid addere) in consideranda tum verâ *ratione*, communium horum ita *hypochondriacorum* in utrolibet sexu pathematum; tum in primis in pervestigandâ verâ atque evidente ratione, illius diversitatis, quamobrem, utriusque sexui *communia* pathemata, *feminino* seorsim adeò & *sapius*, & *fortius*, & variis magis *schematibus*, tanquam quadantenus magis *propria*, aut certe *usitatiora* sint.

XXXVIII.

Quâ certè in quæstione, si non nimia cum præoccupatio-
ne versati essent, ex infausa illa *Willisiana* speculatione de
fermentativa causa plerorumque *Febrilium*, & *fermentativo*-
(Salino-) irritativa causa *spasticorum* motuum; sed potius in-
stitissent, loco speculationum de *modo fiendi*, ipsis veris *facto-*
rum historis: quantum nobis quidem videtur, longè facilius
agnovissent parem illam utrorumque, tanto magis autem
privatam *fœminini* sexus, *proportionem*, à sanguinis *excretoriis*
moliminibus, ad hujusmodi alias *spasticas contentiones*, ten-
dentis *energix*, variam transfigurationem.

XXXIX.

Quamvis forte non injuriâ, pro fundamento difficulta-
tis allegari posset quod *energiam motus tonici vitalis*, ad acti-
vas directiones excretionum non animadvertentes, præter-
missa ita rerum veritate, necessario ad *ficticia* alia fundamenta
compulsi, non potuerint non magis magisque aberrare.

Enumeravimus sine dubio longe maximam partem schematum illorum, quibus varii successus affectuum, ab una radice pullulantiū, larvari consueverunt, in primis otiosioribus veluti, quos à temporis morâ *Chronicos* appellare solent, progressibus. Ubi nempe, ut etiam è majore veluti diffusionem, iterum ad supremos apices animum remittamus, præcipua harum multiplicium transformationum veluti lineamenta prima seu rudimenta, innituntur; Primò *excretoriis molimintibus*; 2do, *congestoriis apparatus*; 3io, hos consequentibus partim *infarctibus*, partim *sensationibus*; 4to *motibus* variis, partim ex *irritatione specialissime & transitorie*; partim ex *intentionibus discussoriis, & excussoriis*, ortum ducentibus: 5to denique, veris etiam tandem *corruptionibus*: quarum tamen adhuc moderamini 6to specialissimi quidam *motorii conatus & actus* occurrunt, ne, si non *omnis* in genere *corruptio* occupari possit, tamen 7mo certò alias sequentem *emortua-lem* corruptionem, antevertat.

XLI.

Supereft *alterum* harum rerum theatrum, *brevibus & fortibus* actionibus & mutationibus innitens, & terribilibus omninò larvis schemata sua instruens. Intellego affectus *acutos*; qui vel tota *periodo*, vel ad minimum *insultibus* brevem temporis ambitum complexis, sese exserunt.

XLII.

Esse hujus tribus, si non absolute unicò, tamen præcipuè, omnium ordinum atque specierum *FEBRES*, quilibet facillè recordabitur. Harum autem de vere gentilitia larvâ, quamvis prolixi hoc loco esse non affectemus, tamen necesse habem⁹ dicere, quod illa tam diligentissima contemplatione indigeat, ut alioquin, quod à tot seculis factum est, nudo simplici adspectu contuentes, penitissimè fallat. Nempe, cum totius negotii *febrilis*, seu *febris in genere*, indoles nitatur diversitate illa suprema, & omni modo exquisitissimè discernenda, inter *motus, extraordinarios* quidem, sed *acti-*

vor tamen, & ut *intentione*, ita etiam *inventione*, ad *salutarem* finem, morbidæ causæ directè *oppositum*, quadrantes: & *passivos* quosdam *defectus*, & qualicumque respectu *effectus*, causæ materialis *morbidae*; in primis autem nondum tam in actum deductos, quam solum actui subeundo proximos, (sive, ut scholæ loquuntur, in *proxima potentia* constitutos) Detrahenda hæc est solertissime atque peritissime huic subjecto larva, ne temerarius *metaschematismus* magis in *acceptione* nostra formetur, quam ipsa re sistatur; ut *activa* pro *passivis*, actus *contra* morbum, pro ipso *morbo* aut *effectibus* ejus: *molestia* ex *utili* labore, pro nudis *damnis* ab hostili efficacia causæ morbidæ, & tandem *necessaria* expulsiones, pro *frivolis lapsibus*, imponant. Iterum iterumque commendamus *schematis* hujus prudentem atque peritam omnino dignotionem; tanto magis, cum satis sciamus, quam longe ab hoc *dramate*, aliter quam è *cavea* spectando cum ima plebe, absit ingens numerus ejus *spectatorum*.

XLIII.

Magis autem utique impingit in sensus etiam ipsarum *diversarum Februm*, satis familiaris *transfiguratio*; partim *ratione ortus* sui, quomodo ex aliis affectibus in hoc febrile *schemata* transformantur: partim intrà *propria* sua quasi *potestates* & *republicam*, peculiari tamen veluti *licentia*, tribus variant, & ab una in aliam transmigrandi libertatem præfese ferunt.

XLIV.

Primo intuitu, merentur quidem aliquam *considerationem* etiam *acuta* febres è simplicioribus *plethoricis* constitutionibus, & *commotionibus*, ortum ducentes; tantò magis autem promptæ *febrilium* sanguinis *commotionum* scenæ, in tali constitutione passim etiam levioribus aliis occasionibus supervenientes. Jam autem altius, & ferè è pluribus scenis, ortum suum repetunt *INFLAMMATORIÆ* febres.

XLV.

Quarum quidem *spontaneus*, *internus*, quasi *tacitus* ortus

ortus, rarius ab alio principio procedit, quam à *palindrome* illa, *congestionum* sanguinearum, ab *ambitu* corporis ad *interiora*: interim tamen etiam aliquando è *vicinis* moliminibus, & *tacitis* quidem, sed *contumacibus* tamen, *contentionibus* congestoriis, ad qualemcunque excretionem respicientibus: in primis *mensium*, in sexu *fæminino*; cum faciliore feliciore exitu: *hemorrhoidalium* autem imperfectorum conatum, in *podagricis*, per ætatem æque atque animi simul indolem, alacrioribus & acrioribus.

XLVI.

Hac ratione contingit satis facile, ut etiam in medio cursu, *aliæ febres*, in primis autem *exanthematicæ*, schema tacite mutant, & per *retrocessionem* ad interiora, aut impeditam sufficientem expulsionem ad exteriora, *inflammatoriam* faciem induendo, non solum periculum, sed communiter damnum vitæ inferant.

XLVII.

Cui quidem rei etiam aliquando simplex corporis à motu admodum exæstantis, sed per intemperantem repentinam *refrigerationem* temere percussi, repentina per ambitum *constrictio* tonica, qua agitatus adhuc & *expansus* sanguis, tota sua mole ad *interiora* compulsus, penitiores ibi irruptiones, infarctus, *stases*, & tandem *inflammationes* ita producat: quibus *febriles motus* inevitabiliter superveniant necesse est.

XLVIII.

Iam vero lenissimarum *inflammatarum* febrium *phthisico-hecticarum*, quam familiaria sunt schemata, tam *hemoptysi*, quam aliis etiam vehementibus commotionibus *hemorrhagicis* per *adstringentia* potenter suppressis, vestigia legitur: tum etiam ex *intermittente*, per *adstringentium* abufum, præsertim circa *paroxysmos* potenter obrutâ, affabre efformata. Sicuti revera nulla est *hectica* febris, quin à prægresso alio *visceris* in primis alicujus damno configurationem suam primo susceperit.

XLIX.

XLIX.

Ita *lentas* etiam, nullo adhuc exquisito typo, aliis *typicis*, tam *intermittentibus*, quam *catarrhalibus continuis*, tanto magis autem *compositis*, præcludere, nequaquam insolens est: nempe veluti nondum penitus detecta; sed *larvata* tantisper facie. Neque dispar etiam est schema similiter ita *lentum*, quo post alias febres, larvari sæpenumero contingit prægressum aliquem typum: in primis si mala patientis *incontinentia*, aut inepta *artificia*, priorem faciem fucaverunt. Incurrunt enim etiam è talibus constitutionibus patientes in *lentum* aliquod schema; quod vel in *recidivam*, vel in *hecticam* veram, iterum transfigurari, proclive existat.

L.

Neque vero *acuta*, in primis non exquisitè *maligna*, penitus abhorrent à schemate *intermittente* capiendo; aliquando quidem immediate illud *adsciscendo*, adeoque *compositum* typum formando: aliquando verò, postquam suam *periodum* absolverunt quidem, quantum ad sensibiles *paroxysmos* attinet: interim *lentorum* adhuc motuum reliquiis, & in primis ingente *sensibili*, etc, tanquam occuluisse solum faciem videntur; ibi, si vel mediocre aliquod peccatum, in primis in *aeris* temperie, aut *assumptis*, committatur, in procinctu ferè sunt *tertiana*: interim neque ipsæ *larvis* destitutæ; dum etiam hujusmodi Febres rarò bona fide & simpliciter *legitimæ* existunt, sed iterum ad *acutos* typos, aut certe *phthisin* vel *hecticam* propendentes.

LI.

Tantò magis autem non ita rarum est etiam *intermittentes* febres in *continuum* typum transformatas intueri. Quando vel *plethorica* constitutio patientis, & diæta *vinosa* & *aromatica* viam sternit; vel fervidiore *medicandi* per *remedia*, *regimina*, aut *utrumque*, methodo: quin etiam sufficientis *transpiratoria* ventilationis, per intemperantem refrigerationem repressione, *larvæ*, veluti subministrantur.

D

LII.

LII.

Ita etiam *simplices Tertiana*, in *duplices*; tranquilliores in *instabiles* & multum *anticipantes*: *quartana* simplices in *continuitatem lentam*: utraque insolito atque debito majorem *pertinaciam*, transformantur: jam debitæ sub paroxysmis *continentia*, jam inconditæ *diatæ*, jam vehementium (*commovendo*, aut *cobibendo*), *medicamentorum* & *regiminum* culpa.

LIII.

De actualibus Febris *pestilentibus*, seu vera *peste*, non placet multum loqui; cum in ea re solis alienis traditionibus niti necesse sit, in quibus tamen passim aliqua *dissona* occurrunt. Non esset autem indignus honesto otio labor, *historiam* veram *pestis* in *orientalibus* locis, in primis ex eorum, qui ibi diutius vixerunt, imo artem exercuerunt, relationibus consignare.

LIV.

Commemorant enim utique tales, quod maxima pars hominum ibi intereat, prævalente ita interdum *pestilente* publicè grassante malo, sine cujusquam generis *exanthematibus*, ad eò, ut talia etiam veluti rariora inveniantur aut observentur: sola magis *virium amissione* repentinâ, & *capitis*, non tamen æque *delira perturbatione*, *gravitate*, etiam *citra enormes exquisitos dolores*.

LV.

Interim in Europa *pestem vere dicendam*, aliis *malignarum febrium* schematibus larvari, non inusitatum est audire. Unde etiam passim *variolas*, *morbillos*, *petechias*, singulas tales admodum insolescentes, *pestem præsigne*, *pestem* post se trahere, familiariter quidem audire est apud vulgus, & legere apud scriptores: sed certe, per *divinam gratiam*, à *veritate experientia alienum*. Inauditum siquidem, *veram pestem* unquam verè alicubi in Europa extitisse, sine satis *notoriâ actuali communicatione per contagium*; in primis ex *orientibus*, tanquam *propria veluti sede atque seminario* hujus mali per-

perpetuo. Dum non solum *Europa & America*, quantum constat, sed etiam hominibus abundantissimum *Chinarum Imperium*, huius morbi expertes sunt. Unde tanto minus as-
sentiri possumus, ingeniosæ ceteroquin, & aliàs sub certa re-
strictione non improbandæ, opinioni cuidam recentiori, ac si pestis simpliciter à *terrifica imaginatione* mortalium *speci-*
ficam suam ab aliis *acutis & malignis* morbis *differentiam*, imò
non tam *essentiam*, quam *existentiam* nanciscatur.

LVI.

De illo minùs contenderimus, quod *pestis, tempestatum*,
in primis in nostris climatibus *frigidioribus*, qualicunque co-
operatione, tanquam formali *contagii* sui energia imminuta,
leniores, neque prorsus ad prægressam energiam redeuntes *a-*
ctiuitatis suæ *personas* induere possit: Sicuti propemodum et-
iam rerum naturæ magis consonum videtur, posse magis, à
specifica ratione detracta, aliquam *subalternam* magis *genericam*
superesse; quam *generi* qualicunque specialissimè *specificum*
characterem pari promptitudine superinduci.

LVII.

Familiarior est transformatio quarumlibet *Februm, con-*
tagiosis tamen quæ talibus exceptis, in *Hæcticam: Inflammatoria-*
rum, in *Erysipelatodem* aut *apostematodem*, effectu tamen irri-
tam, & eventui præcedenti funesto, nihil detrahentem: de-
nique vero *bilioso erysipelatodem* transitus in *apostasies* Hippo-
craticas, nunquam *maturescentes* seu *apostematodes*; quas in-
primis secundum *exacerbationes* sensibiliores, *rheumatismi* no-
mine hodiè familiarius notant. Sicut etiam *biliosarum* à *cras-*
sio materia differentia sunt schemata, *cholericodes*, *causodes*
seu ipse *causus, syncopalis, singultuosa* &c.

LVIII.

Maximè notatu digna verò sunt schemata *malignarum*
quarundam, quæ larvas *benigniorum* induunt. De hac re
non asseverat solum Dn. D. Præses, sed prouocat etiam ad
viros Praxi usos, circà indolem *Febris petechizantis*, quod illa
passim sub aliis *schematibus* latitare solita sit; dum non solum

continuas tertianas passim formavit, sed etiam eo usque simu-
latas, ut ne quidem à sincerè *intermittente* typo ad sensum
abfuerint, per tertianarios *paroxysmos maculas* emittentes:
tanto magis autem summo *Vere pleuritides*, primo *autumno*
dysenteriam, postremo eodem, & hyeme mitiore, *catarrha-*
les simpliciores, cum *coryza* & *tussi*, æmulata sit.

LIX.

Cœterum, est utique *metaschematismus* consideratu in
praxi clinica dignissimus, *apostas* illa, sed secundum verita-
tem intelligenda, (*secessio*, non crasso morbo *abscessus*, in
saniosam & *ulcerosam* corruptelam præcep) post *Febres*
inprimis *acutas*, pullulans. Jam quidem recens, & impetu
quodam factus, *Erysipelatodes*; familiaris autem *profundio-*
re, *latiore*, atque quoquo modo *altiore inflatione*, *phlegmo-*
nodes: Imo sine valde conspicua molis mutatione in parte
affecta, simplicius ita dicta *Rheumata*.

LX.

Cujus schematis etiam peculiare exemplar notandum est
à *variolis*; à quibus nempe sanè non ita raro *apostas* tales
sequuntur; verè quidem *ulcerosam* indolem sectantes, sed
characterem antiquum peculiaris omnino *malignitatis* omni-
nò retinentes, & sicubi ad veram *ulcerationem* perveniant,
minimè *simpli*els, sed perpetuo *maligna* energix.

LXI.

Neque vero hic *ὑπεργραῦν* ingentem illam *apostasew* fe-
brillum malitiam licuerit, qua non tam ad exteriores, imò
extremas simplici vocis acceptione, partes, aliquid *seponunt*,
sed ad *intimiores* atque *nobiliore*s. Ubi quidem non sermo
nobis est simpliciter de *retrocessione* ad interiora *exanthema-*
tlearum, *plena*, *repentina*, & repente etiam *funesta*: sed de
illa etiam *lenta*, mole finè dubio *pauca*, sed tamen satis effi-
caci & omni modo *maligna*, quando inprimis à *variolis*, in
pectus labes talis incumbit, ut post morbum de reliquo su-
peratum, tamen in *pectore* maneat, perennet, imo magis
ma-

magisque in gravescat, *tussiculoso-ulcerosa* læsio, difficillime superabilis, imò potius patientes verè brevis ævi efficiens.

LXII.

Sicut etiam vel ex ipsis *intermittentibus* febribus, præsertim cum concurrentibus adhuc aliis circumstantiis individualibus, sine sufficiente, nempe indoli morbi verè debira, *evacuatione simpliciter suppressis*, non defunt exempla gravissimorum *hysterico hypochondriaco colicorum* pathematum, magis magisque *periodicas* exacerbationes posthac instituyendo, gravissima *incommoda*, imo etiam *pericula*, post se trahunt: Concurrentibus inprimis uti res ipsa posthac monstrat, *retentionibus* vel communium excrementorum, quæ postea, à suppressis reliquis *periodicis* commotionibus, peculiarem periodicam indolem excretoriorum conaminum, peculiari *larva* induere solent.

LXIII.

Percurramus hucusque diversa schemata, quibus affectus à *sanguineis* occasionibus præcipue pendentes, larvari solent, perlustrabimus simili gressu, etiam *SEROSORUM* affectuum schemata; qualia vel ipsi inter se mutuò fingunt, vel ab aliis initiis sumunt & adsciscunt. In his merito primum locum obtinent illa schemata *CATARRHALIUM* tam circa *caput*, quam *pectus*, affectuum, qui subjectis *sanguinei* habitus, & *lethorica* constitutionis, interim neque corporis *locali*, nec animi *incitativo* sufficiente motu gaudentibus, satis familiariter obtingunt, & dum *serosum* schema exhibent, facile imponere possunt pro *simpliciter & absolute* talibus, nec usquam à *sanguinea* constitutione dependentibus.

LXIV.

Sunt hujus census revera sanguinei, quin etiam *phlegmatico-sanguinei*, variæ *gravedines coryza*, *asthmata humida*, *tusses humidae*, imo vel *suffocativus* catarrhos formantes; imò *spastici*, jam *paralydotes*, & nimium *relaxantioris*, *pectoris affectus*.

D ;

LXV.

LXV.

Neque hi solum; sed sunt sanè quàm familiarissimi tumorum *adematoforum* ortus, à temere suppressis, jam *evacuationibus*, jam *commotionibus*, *sanguinis*. Et hoc imprimis in spongiosioribus corporibus, dico ab *evacuationibus* suppressis, communissimo exemplo *mensium* in fœminis, *hamorrhoidum* in viris.

LXVI.

Imo in *pectore* quoque ab *hamoptycis* sed languidis atque tacitis, *mollimibus*, *ulcerosas* stases, & congestiones, *ulcus* ulterius *foventes*, prognasci, notissimum est animum *adver-*
tenti.

LXVII.

Quid? quod revera non desint exempla, è vere sanguineo habitu prognatæ per *voracitatem* & *otium* iners, constitutionis univèrsim *phlegmaticæ*: familiariter tamen è pristina prima indole, ad *inflammatorias* tenues serosas, *erysipelatoses*, *phlegmonodes* affectus & effectus propendentis: aliter, quàm verè & simpliciter *phlegmatica* indoli usitatum est.

LXVIII.

Non possum, quin brevibus hic allegem peculiare quoddam schema, quod D. D. Præses breviter commemoravit in *Disp. de morbis habitualibus*; ubi è mutato vitæ & diætæ genere, & Medicationibus etiam eò peculiariter conspirantibus, *patiens habitu* quodam *catarrhali* correptus est, qui optimo jure *catarrhus habitualis* dici poterat; consistebat autem in prompte cooriente, inter diætæ ataxias, *gravidine*, quæ etiam in *coryzam* soluebatur; sed peculiari schemate ita larvatam, ut cum *patiens* consuevisset *secretu* per *infundibulum* mucositates illas deducere, magis quam *nases* emungendo illas evacuare, *sefellerit* ita & ipsum, & alios, vera effectus *indoles*, &, uti semper fit, ut *amissa* veritate errores latè *serpant*, etiam *variis* aliis opinionibus tanquam *temere* *ansam* præbuerit.

LXIX.

Tantò magis autem fallax est illud hujusmodi *catarrhalis* constitutionis schema, quando *habitualis* ejus promptitudo, magis ad *fauces* atque *pectus* ipsum inclinans, tam in *aspera arteria*, quam ipsis *pulmonibus*, ejusmodi incommoda producit, quæ pro longè *profundius* hærentibus, & quod ajunt, *radicatis*, reputari soleant. Meretur certe inter alios de hoc negotio etiam legi *Job. Crato* in epistolis apud Scholizium, ubi iterum iterumque conqueritur de hujusmodi affectu, Imperatorem suum obsidente. Quæ quidem res tanto majorem considerationem postulat, postquam inde oriunda *pectoris* incommoda, quando semel pro *phthisicis* arguuntur, nempe actu *ulcerosis*, præbent inde methodo communi artem, laudatissima illa sua *vulneraria* in usum trahendi, quibus *exonerationes* potius hujusmodi casibus necessariæ, simul & semel irretitæ, conjiciant demum patientes in illa damna, de quibus ipsis medici antea sine causa timuerant.

LXXI.

Enimverò commemoranda omninò est in hoc censu etiam implicatum illud, ad minimum diagnosi, si minus vera interna schematis fallacia, phænomenon, *hectica* pro *phthisi* apparentis. Ubi, cum ita *hectica* ab *ulcerosis* tipationibus circa abdominis viscera communissime pendeat, sicuti *larva tussis* non solum *sicca*, sed etiam pro individuorum habitu tandem passim *humida*, medico imponat, ut ipsam pro *phthisi* interpretetur, & huic medicationem illam usitatam per *travomatica* amplius *tipantia*, aut *calida balsamica*, stasibus *inflammationes* inducentia, subvenire molietur, nihil amplius ac certius inde reportet, quam graviolem affectus implicationem, adeoque consequenter funesti eventus promotionem, aut certe omnis felicitis successus certiolem, atque pertinaciorlem præclusionem.

LXXI.

Neque vero aliena est ab hoc ordine considerandi, etiam illa transfiguratio *ulcerosorum* effectuum, quando v. gr. *scabi-*
o-

biofi motus, late per ambitum corporis se diffundentes; vel etiam unum artum præ aliis insolentius complexi, temere *re-*
pelluntur; Ubi vel *acutos*, sed tamen *anomalos*, effectus, *febres*,
asthmata convulsiva, *catarrhos suffocativos*, *torminosa*, per ab-
domen pathemata, *Urinaria* vitia, inferuntur aut repræsen-
tantur: aut altius in ipsis partibus subsistentes, *debilitationes*,
dolores, *spasmos*, *rhevmata*, quin tandem jam præsentiores,
jam feras particulares, sed magnas tamen *ulcerationes*, & sæpe
non ita æque *benignas*, efformant,

LXXII.

Cum in hujus rei mentionem incidamus, succurrit me-
moriam etiam illud schemæ, quando vel ab aliis *diuturnioribus*,
vel *arte* prorsus excitatis & *diu gestatis*, quoquo modo *ma-*
nantibus ulceribus, si illa posthac simpliciter iterum *desiccen-*
tur atq; coalescant, satis familiariter minimè exigua incom-
moda, alibi velut exitum quærentium serosarum, *commotio-*
num, obtingere solent. Affluunt horum generum exemplis
historiæ medicæ. Unum, uti nuper nobis oblatum est, ita pla-
cet breviter memorare. Fæmina certa corripitur aliquando
tanquam ex improvise vehemente motu spastico cervicis
atque capitis versò dextram axillam, repetit non solum hæc
tractio sæpius, sed inclinatur etiam patienti caput plurimum
in illud latus quasi stabiliore simul & semel concepto situ.
Quamlibet autem tractorius ille motus non semper ita fiat
aut duret, titubat tamen fere continue caput tanquam tre-
mula quadam inconstantia. Consuluntur medici passim; in-
terpretantur ortum mali jam à scorbutica, jam alia quacunq;
acrimonia nervos obsidente: suadentur medicamenta, aci-
dulæ, thermæ, sine effectu, tandem cum aliquis suaderet fon-
ticuli in illo brachii excitationem, narrant patiens & ejus co-
gnati, quod ipsa à longo tempore ulcus aliquod in eodem
habuerit, fonticuli more perpetuo humescens, quod ante
annuum forte spatiū curatū & consolidatum sit. Cujus nem-
pe

pe assuefactæ excretionis immediatam simplicem cohibitionem secuta erat hæc spastica in vicinia exagitatio.

LXXIII.

Ita ab eadem *scabie* temerè cohibita, vel per debiliora unguenta, vel per frigus in amictu aut conclavibus, facile oboritur schema *Oedematoso-anasarcodes*: & hoc quidem etiam in tali ætate, quæ alias ab hujusmodi tumoribus alienior existat, *puerili* teneriore æque, atque jam adulta. Quæ quidem *inflatio*, uti aliis hujusmodi tumoribus minùs pertinax, & ad minimum per *initia* sui, non æque cum peculiaribus ipsorum *viscerum* vitiis conjuncta est; ita frustrà etiam methodis, aliunde nato *hydropico* tumori quantumcunque idoneis, tractatur, sed melius illis obsequitur, qui ipsi quoque *scabiei* vere quadrant. Nullum autem propemodum nobis est dabilem, quin etiam aliquot observationes hic illic apud autores obviæ, *hydropis* salutari successu in *scabiem* mutati, imo *quartane* in foedam *scabiem* totius corporis exeuntis, ex his iisdem schematibus origines suas sumserint: & potig etiam ab initio è *scabie* in illa schemata transformata, tandem ad ingenium redierint, quàm simpliciter è talibus præcedentibus affectibus *sincerioribus* in *scabiem* directe transiverint.

LXXIV.

Vix ullus affectus deludit familiariùs patientes æque atque medicos quam schema, *dorsi & lumborum* doloribus molestum; ita vulgo promptè & simpliciter pro *renali & urinario*, nempe *nephritico calculoso* affectu reputatum. Sicut ex adverso plus uno modo perplexam reddit veram Diagnosin, etiam ve è cum *calculosa* in *renibus* dispositione complicatum, illud schema, quod varios in *abdomine*, *dolores*, *tumultus*, *motus* jam *excussorios* per *vomitum*, jam *stipatorios* circa *alvum*, complectitur. Ubi nempe vel planè non ita facile *nephriticus* jam *consensus* subesse dijudicatur; vel adhuc majore ambiguitate, si veritas rerum perpendatur, omnia talia commotionum molimina, *directè* & simpliciter *renum* affectui adscribuntur.

E

LXXV.

LXXV.

Urine autem circa *vesicam* successuum, uti etiam *simpliciora* uno plura sunt schemata, quibus *ischuria*, *stranguria*, *dysuria*, efformantur; & quidem jam *cum*, jam *sine calculi* concursu; sunt tamen reverà etiam satis familiaria schemata talia, quibus longè aliud subest fundamentum, nempe *venereorum* inquinamentorum, vel ipsi patienti non suspectorum, (quod probis etiam & sinceris fœminis, è conjugum afortia evenire potest) vel silentio, ab ipsis non solum prætermittorum, sed etiam impudentibus *questionum* elusionibus dissimulatorum.

LXXVI.

Enimverò latus hic pateret camp⁹ schemata, quæ à complicatione *Veneræ* labis, cum aliis *serosis* affectibus, efformantur; aut ipsas etiam proprias scenas instruunt, variorum *catarrhalium*, *rheumaticorum*, *articularium*, *cephalicorum*, *ulcerosorum*, affectuum, diversis typis: Sed non placet hanc camarinam movere, cum sufficere possit, de animo, ad has larvas circumspicere advertendo, monuisse: utique postquam horum inquinamentorum, in Germania passim æque ac aliis hoc nomine satis notatis regionibus, non minus fertilis sit proventus, quam zizaniæ.

LXXVII.

Illud unum adhuc adjici potest, quod etiam in *fluore* albo mulierum, non ita rarò, uti fortè reputari posset, hoc idem potiùs schema, quam ulla simplicior ratio plurimam habeat partem. Interim de ipsa etiam *sinceriore* atque simpliciore *fluxus* hujus indole, minime tacendum est, illud schema, quod *suppressio* hujus *fluoris*, posthac passim induit; ut hujusmodi fœminæ, jam per viciniam, in *lumbis*, *coxis*, *femoribus*, *pedibus*: jam in *superioribus exterioris* corporis partibus, *arthritodea*, *spastica*, etiam *vehementia*, pathemata experiantur: jam gravibus *hypochondriaco-hysterici* & *cardialgico suffocativis*, insultibus exagitantur: jam *asthmaticis convulsivis*, aut *catarrhalibus suffocativis* accidentibus, gravibus,

COR-

corripiantur. Quæ res reverà nunquam negligenter perve-
stigi meretur.

LXXVIII.

De *Sudationibus*, tanquam *seroso-halituosa* excretio-
ne, ut aliqua dicamus, notanda venit *spontaneorum* sudorum
in ætate maxime jam consistente, peculiare schema; ut inter-
dum, inprimis autem circà *æquinoctia*, & maxime *autu-
male*, versus *diluculum* sese exferant; patientibus, dum
erumpunt, imò etiam aliquantò plus, inprimis tamen si
ipsis non satis obsequantur, *lassitudinis* sensum incutiant:
sin autem debitè ipsis *indulgeant*, sensim sensimque etiam
iterum decrefcentes, patientem reverà *alacrem*, & sensibi-
lius *vegetum* relinquunt. Si verò ipsis nihil obtémpera-
tur, non solum mox præsentius & *lassitudinem* majorem &
fastidia animi atque ciborum, & *semnos* inquietos, & *fe-
brilium* perturbationum rudimenta forment: sed etiam
familiariter *rheumatico artbritica* pathemata post se trahant.

LXXIX.

Infames autem hoc nomine etiam in vulgus, maximo
jure sunt, *pedum* inprimis *sudores consueti*, si imposterum
temerè *cessent*. Utpote à quibus etiam *acutas nauasōdes* Fe-
bres, & *Chronicas spasticas*, circà *hypochondria*, & *pectus*,
affectiones oriri: in ipsis autem cruribus, vehementis *lassitu-
dinis* larvam, *obrigescentis* tensionis, *ponderosa* gravitatis,
quin *tractionum* atque *palpitationum* sensum: tandem jam
œdematosos molles, jam *duros ruffos* tumores, formari, satis
familiare est.

LXXX.

Non pauci sunt homines, qui vel aliàs ob leviores cau-
sas *alvi fluxum* experiuntur; vel etiam quasi *spontaneum* plus
minus *periodicum*, persentiscunt. His ubi talis excretio non
amplius ita succedit, sed simplicius *subsistit*, familiares admo-
dum sunt *colica flatulentia* vehementes abdomen ipsum in-
durantes: *appetitus* & *concoctionis* vitia, nullis simpliciter

roborantibus atque tonicis, tantum obsequentia, quantum prudenti *absterfioni* atque *evacuatiōi*, consueto mori accommodatæ. Quid, quod hujusmodi suppressiones *diuturniores*, omninò *cachecticas*, tandem perturbationes concoctiōnis atque distributionis post se trahere solent, non ita raris in sexu fæminino exemplis.

LXXXI.

Perlustratis ita dignioribus effatu (nec enim omnes certe minutias sectari fert animus, imò neque tempus neque locus) tam SANGVINIS quam SERI affectuum, variis conformationibus atque transformationibus; superest, ut MOTUUM etiam vitalium, varias larvas inspiciamus, quibus subinde, imò hi quidem perpetuò, alterius rei veram indolem magis *occultant*, & suâ personâ temere deformant.

LXXXII.

Primum locum, & certè, uti dignissimum, ita lati profusus ambitus, vindicare debemus *passiva* illi larvæ, quam multi hujusmodi *motus*, nulla sua culpa ferunt. Dico de eo, quod multi ejusmodi *motus*, non solum pro *morbidis*, & simpliciter *passivis* reputentur; sed passim etiam immediatè pro ipso *morbo*: qui, veriore totius rerum indolis æstimatione, potius simpliciter pro *salutaribus*, ipsi morbo directe *oppositis*, imò passim expugnationi ejus absolute *necessariis*, haberi merentur.

LXXXIII.

Quantumlibet autem utilissima certe sit hujus schematis agnitio, non tamen præsens locus aut tempus permittit, hanc rem pressius persequi. Unde illam solum commendantes solertiori pensitationi, universalioribus quibusdam speciminibus contenti erimus. Antè omnia vero digna est consideratu *persona* illa, sub qua, quamvis in ipsos oculos incurrente, ab omni propemodum ævo latuit, uti totus MOTUS TONICUS, cum vera sua energia: ita inprimis illud ejus eximium phænomenon, quando strictura totius *peripheria* corporis, *pallor*, *frigus*, *extenuatio* habitus, imò tremulæ

mulæ

mulæ *concussiones* ejusdem, formantur. Qui ipse actus, cum paulo, & quidem immediate post, revera familiariter transfiguretur (in *paroxysmis* febrilibus) in harum earundem partium *laxitatem, inflationem* lubturgidam, *ruborem, calorem*, ad *astum* usque, auxit. hoc ipsum difficultatem detrahendæ larvæ.

LXXXIV.

Interim alias etiam citi à verum *Febrilem* typum, sub hujusmodi larvis hæerere, jam *congestionem* circa *interiora*, cum *angustiis, anxietate*, quin internis *spasticis, torminosis, vomibundis, febematibus*: nunc iterum *extrorsum* exundantibus, *volatico æstu, inquietudine*, variarum partium *doloribus*: & magis magisque *assuescentibus* harum rerum *reciprocis fluctuationibus*, dignum utique est consideratu.

LXXXV.

Quamlibet autem, ut harum rerum etiam sub applicatione commeminerimus, *hemorrhoidalium* moliminum transfiguratio, in ejusmodi *spastica* conamina circa *exteriora* loca, equidem ita simpliciter in plano posita non est, ut non plus opus sit prudente comparatione atq; collectione, quam simplici nudo adspectu; Interim potest tamen huic negotio etiam velut ipsis oculis vestigando, lucem præferre illa evidentiior, & familiarissima quidem, transfiguratio, qua *arthritici* omnis generis, & ipsi etiam *podagrici* infultus, admodum promptè ab *exterioribus* ad *interiora*, nominatim ad *abdomen, hypochondria, lienem, ventriculum, intestina*, concurrant: & ibi quoque jam *congestionibus*, jam *motuationibus* spasticis, turbas certè innumeras edunt, & omnino novam scenam instruunt.

LXXXVI.

Quibus rebus si ad latus ponatur *Paresis* è Colica; *paralyfes* ipuriæ ex *hystericis* laminarum pathematibus vehementioribus: imò *convulsiones* universales, è gravibus *colico-hystericis* angoribus: & nempe *colica* pathemata utriusque sexus, ab *externis* refrigerationibus: poterunt hæc omnia

intervire, ut mutuus harum rerum metaschematismus tanto melius agnosci possit.

LXXXVII.

Quid verò familiarius est, quam à qualibet causa externa, quæ in primis subtiles *tonicas*, strictiones provocare possit, frigidiore habitu *crurum*, aut plane medicamentis *adstringentibus* admotis, *tumores* pedum, cito quidem abigi; interim recursum materiæ, imo peculiarem translationem tanquam ad specialiores partes, ad *interiora* abdominis, aut aliquando *pectoris*, statim insequi.

LXXXVIII.

Enimverò vix usquam plura sunt & familiariora transfigurationum, atque efficacia reverà ad fallendum, præceptum aut minus consideratum iudicium, schemata, quam in illis *internis*, à *repulsione* ab exterioribus, *spasticis* conaminibus. Et maxime quidem tam præsentaneo, quam etiam fecundo, proventu in *fæminino* sexu. Non pariter quidem familiaria, interim tamen neque ita valde rara etiam, exempla, ab *interioribus* ad *exteriora* fierentium talium translationum: plurimum autem usitatæ *metabases* ab inferioribus ad superiora, etiam ipsis *spasticis* hujusmodi pathematibus. Sicut exempla *hemicranica*, *rheumatico-arthritica*; *tensionum*, *vibrationum*, *palpitationum*, *vagarum* quasi *lancinationum*, imò *rigidiora* transitoriarum *tractionum* plus minus *convulsivarum*: *strictura* item *circa fauces*, *asthmata convulsiva*, affatim testantur.

LXXXIX.

CONVULSIONUM quidem uti pænè verè absoluta est *transfiguratio*, dum vix non simpliciter atque semper alium primarium affectum sequuntur, & tamen passim etiam ita imponunt spectantibus omnis generis, ut pro *peculiaribus* aliquo *bypostatico*, *propriam* dico aliquam *subsistentiam* habente, actu & effectu, reputentur: ita merentur tantò magis considerationem, illæ tam familiares earundem *locales* evagationes: dum v. gr. a *morsu* animalis, aut aliunde, in primis cum

ve-

vehemente *contusione* (ante omnia verò ubilibet cum summo *terrore*) facta violatio, etiam in *digito pedis Epilepticas* perturbationes sensuum atque motuum summas efficit. Quales cum Pathologi passim, cerebro & spiritibus magis veluti directè assignent: quacunque vocis acceptione, sive vera sit res, sive ficta, ingens certe sit *larva* hujus efficacia.

XC.

Neque verò etiam ab hoc censu tota aliena est illa transformatio, quando *vertiginosi* visus, & *sonori vagi* aurium, tumultus, in juventute *epilepticas* aut *hemiplecticas*: in pro-
vectiore ætate, *apoplecticas* sensuum atque motuum ever-
siones, formant. Sicuti familiarior utique est progressus *hemiplecticarum* aut *paralyticarum* partialium, in annofioribus, debilitationum, transitus in plenam simplicem *apoplexiam*.

XCI.

Notandi autem reverà sunt hoc ipso loco, metaschematismi illi *translationum* à motibus *tonico spasticis* in aliis regionibus, ad diversas, imò *oppositas*, transeuntium. Et nominatim quidem pervicacia illa, à talibus initiis, circa superiora coartorum effectuum. Ubi v. gr. à *Podagrâ*, perperam è sua sede depulsa, sed *causa* ejus minime *mitigatâ* aut *sublatâ*, jam vehementissimos affectus circa *caput*, jam circa *pectus* convulsiva asthmata, jam in *hypocondriis*, varii *spastici* & ipsi *hydropici*, affectus, non solum ipsa sua actuali inducta *læsione*, vel irrevocabilem contumaciam fervant: verum etiam ad *antiquum* locum atque typum, vel solis motibus spasticis reveri obstinate recusant: circa *locum* novo suo metaschematismo occupatum potius veras *motitationes*, nempe *vagas* exacerbationes, exercentes, quæ simplici *materiale* læsione, in tali loco per primos insultus inductæ, non adscribi possint, sed potius veris exacerbationibus: Et quidem manifestò etiam talibus, quæ alias *podagricos* spasmos in suâ propriâ sede exacerbare valeant atque soleant.

XCII.

Venit tandem etiam merito in considerationem, peculiaris illa larva, *alienationis* aliqualis *mentis*, cum plus minus repentina *promptè loquendi* impotentia, ceu levi *paralyfi* linguæ. Scimus ejusmodi exempla, ubi etiam ab eb. iofitate tandem coorta, ejusmodi repentina *balbuties*, mox *mentis alienationem* post se traxit; *stupidam* tamen magis, *obliviosam*, & tandem qualitercunque *anxiam*, quàm *operosam*, nedum *furiosam*: quæ frustra pro *melancholia hypochondriaca* reputata & tractata, servavit sane potiùs illibatam suam indolem, adversus omnes alio tendentes etiam aliàs expertæ fidei nomine celebratas, tractationes Medicas & Empiricas. Sicut etiam familiarissimum hoc est, ut manifestiores etiam *paralyfes*, nec unum solùm *artum*, sed alterum etiam satis notabiliter occupantes, v. gr. *brachium* & *pedem*, aut *alterutrum*, quando simul *loquela* quantumlibet detrimenti experitur, patientes ejusmodi familiariter quasi *repuerascant*, *stupidi*, *obliviosi*, & magis magisque sui suarumque rerum ignari evadant. Percepit hujus rei adhuc ante exiguum tempus D.D. Præses exemplum in urbe non ita multum distita, ubi fœmina 50. circiter annorum, ejusmodi *paralyfi* correpta, jam in tertium annum sui & omnium rerum immemor, vivit tamen, quæ ori offeruntur, edit atque bibit, dormit; inscia quidem, sed tamen satis tempestivè, superflua excernit, cœterum nullum etiam indicium sive phantasie sive memoriæ exferit.

XCIII.

Ita quidem etiam ab aliis *motuum vitalium* periculosis immedimentis, aut gravium impedimentorum periculis, *rationem* ipsam confundi, inprimis autem talia propiùs etiam *cogitationum*, schemata formari, quales sunt *generales idee* proportionis partim *materialis*, partim *moralis* atque *finalis*, (nempe impendentis à talibus rebus *periculi* exitii) monstrant inprimis *melancholia hypochondriaca*; imo etiam

etiam

etiam *deliria* ultima *moribundorum*, quibus ferè de *professione*, & *reditu* è præfente tanquam peregrino loco ad proprium habitaculum, fabulantur. Reliquarum autem *deliriis* idearum, ferè & propria est, & simplicior configuratio; quando ex profundâ *speculatione* atque industria *impressione*, imò *anxia terrificâ* indefinente *recordatione* atque præfiguratione, tandem in *habitum* ita indefinenter specularandi atque figurandi abeunt. Id quod tam in *Eratomaniis*, quam summè *terrificis* (v. gr. tanquam à visis *spectris*) affectibus, locum habet præcipuum.

XCIV.

Non possumus tamen, quin mentionem etiam faciamus peculiaris schematismi, observatione atq; cautione dignissimi, ipsorum violentorū *maniacorum* deliriorum; dum videlicet illa aliquando *mitescere* apparent, ita, ut patientes tales revera *cautissimi* evadant, & exquisitissimè *simulare* discant: interim tamen violentam suam *intentionem* adhuc profundè abditam reservent, unde ipsis temerè fidere periculosissimum est. Non ignota est ejus rei historia ante tempus non ita longum gestæ, ubi vir satis diu graviter furens, interventu violentiorum coercitionum, tandem *cautus* factus, & diu à tentanda vi abstinens, cum aliquando & à custodibus suis, & ipsa uxore consentiente, impetrasset, ut illa cum ipso in eodem lecto dormiret, secuta ipsa muliere cubiculum diligenter obseravit, & abscondito jam antè cultro, jugulum uxoris frustra renitentis dissecuit, peracto verò negotio, vigiles ad rem inspiciendam ultrò admisit, pecudis mactationem à se peractam causatus. Imo verò sæpè infidam esse spem plenæ atque firmæ restitutionis à *ferocioribus deliriis*, quin vel per temporis mutationes denudò sese prodant (unde vulgus arguit, die schweren Monathe) vel etiam *ira* incontinentes, peculiariter *trepidus* & *meticulosus*, *risus intemperantes* &c. relinquunt, satis notum est.

F

Spe-

Specialissimæ verò considerationis, aut certè observationis, est illa *Sim. Pauli* assertio, de baculis *corni arboris*; quod qui unquam antehac à *canerabido* demorsi curati fuerint, si hoc lignum manibus gerant, ut apud ipsos incalescat, denuo *rabiei* & *hydrophobia* obnoxii fiant. Nisi quidem verosimilius haberi possit, quod *pellio*, in quo hoc ex allegata hac causa ita evenisse narrat, potius à tractatione *pellis animalis rabidi* hoc infortunium incurrit.

XCIV.

Cum ita, si non omnia, tamen pleraque *schematum* & *metaschematismorum* exempla recensuerimus; (pro quibus quidem per historias ipsas confirmandis, non placuit tempus atque chartam prodigere, cum post indices illos reales *Mironi*, *Lippenii*, *Lindenii*, *Acta Naturæ Curiosorum* &c. otiosus sit labor talia transcribere) obsignamus hanc tractationem supremo illo *metaschematismo*, quo *Vitalitas* in contrarium sui tacitè transmigrat, quando *Syncope* in *mortem confirmatur*. Cui rei cum aliquando (in *puerperio*) insignes *hemorrhagia*, aliquando *incondita medicatio*, & nominatim per *opium*, viam sternat, invigilare certe convenit, ne quid in his rebus prætervidenda negligatur, aut perperam geratur.

XCVI.

Cum ita satis præter intentionem jam excreverit tractatio thematis nostri, non placet longius diffundi & de *causis* etiam horum *metaschematismorum* prolixius agere. Possimus certe generalium causarum allegatione, solerter curiosis, brevibus tam ad Theoriam quam Praxin, viam quam ipsi ambulamus, indicare. Nempe *ætiologia* *metaschematismorum*, non æque planè *violentorum*, nititur omnino vera *conspiratione Genealogica*, morborum, secundum *conatus*, & *exitus*, adeoque etiam *conspirationes*, *hemorrhagicos*. PRACTICA verò cautio, versatur partim *à priori*, in eo, ut Medicus secundum partim hanc *Pathologiam ætio-*

tio-

tiologicam, partim ipsam observationem *historico-clinica*, intelligat, è quibus affectibus, qualia schemata exoriri possint: partim à *posteriori* in eo, ut etiam oblatos sibi ejusmodi affectus ita omnino judicare discat, an pro *simplicibus* atque *sinceris*, an vero potius *fucatis* & *larvâ* imponentibus haberi mereantur. Utroque intuitu cavebit *κατ'ὀψιν*, ne quoscunque affectus, non solidè percurando, non solum in *alia*, sed præcipue *pejora* schemata conjiciat: siquidem apprimè notandum est, quod PRÆCIPUI ET PLERIQUE TRANSITUS MORBORUM IN ALIA SCHEMATA, FERÉ ETIAM IN PEIORA CONTINGANT. Unde quidem antiquissimum semper habeat, ut *prodesse* potius toto conatu & opere allaboret: quod si non possit, at à re in *deterius* convertenda caveat. Ante omnia vero & intelligere illud discat, & ingenio toto atque animo evitare, ne *malâ fide* fucum tantisper uni affectui faciat, ut ille *subjugatus* videatur, interim *dissimulatus* saltem aut *dilatus*, etiam cum fœnore & graviore quoquo modo periculo, sub alia larva revertatur.

XCVII.

Inprimis autem det omnem operam, ut, ingentem illam verè *Practicam Clinicam* historiam rectè assequi & perspectam habere discat, quænam maxime affectuum *species*, & *promptiores* & *graviores* transformationes subeant? & quomodo etiam è *alium* primo intuitu *levioribus*, *mitioribus*, & maxime *innocentioribus* etiam, & *facile* fieri possint, & *graviter* difformia subnasci, alia *periculosiora* schemata: unde in *hæmorrhagiis*, *moliminibus* hæmorrhagicis, *hæmorrhagico spasticis* longinquis & *pertinacibus contentionibus*, peritè & prudenter æstimare & cognoscere cordi habeat, tam quid reverà in his rebus geratur: quam etiam quid geri possit perperam: sed *decenter* & *utiliter* etiam debeat perpetrari. Ante omnia in *Febris*, meminerit cautum se gerere, ne periculosè schema pervertatur. Memor antè
omnia

omnia, posse quam maxime, imo solere schemata affectuum
nulla re certius atque citius, quam INCONDITIS ARTIFI-
CIIS, non tam solum in *alia*, sed maxime *pejora*
schemata, transformari.

FINIS,

